



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.7. Arx à nobis seruanda est Anima nostra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

fidionis; militum omnium mors, defectus ciborum; denique, quia solus es, etiam cum honore castrum resignabis. Nihil horum mouit Marcum; pugnavit viuis, pugnare vult & mortuus, & quantum datur, vult obistere hosti ingressum tentaturo. Clauibus, velut aureo torque, è collo suspensis iacet ante portam. Sic mansit integra die. Effecit igitur Marcus spiritu & viribus deficiens, quod incolumis patrare solitus erat. Vnde moriens se in media porta intrantibus obicem opposuit, ut nemo nisi supra eum intraret, cum nullus dum videret contra eum ingredi potuerit. Sic pugnant, qui pro honore pugnant. Hæc generosam mentium est fortitudo. Hæc fortium virorum fidelitas.

VII.

ARX ANO-
BIS SER-
VANDA
EST ANI-
MA NO-
STRA.
LUC. II.
81.

Dedit Deus unicuique animam suam custodiendam; quam diabolus obsidet, & varijs artibus allicit, oppugnat, arietat. De hac enim locutus est Dominus, quando dixit: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, que possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, uniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* O quam nos à Guterrio multum distamus; ille non suam, sed Didaci de Haro arcem tam constanter, vsque ad more

mortem defendit; hinc agitur de nostra ar-
ce, de nostra anima, de nostra salute; &
quàm socordes sumus! Multi vix vniquam
tentationi resistunt, & dum diabolo in om-
nibus consentiunt, non putant, se ab eo
tentari, aut oppugnari: aut si sentiunt,
quàm multi terrentur, metu laborum? fal-
luntur falsis prætextibus; ah vno saepe au-
reo animam suam vendunt? Multi fame
vincuntur, vt nullo obseruato Ecclesiæ ie-
iunio, nulla temperantia, nulla abstin-
entia carniū, animam suam seruent? Quàm
multi clauēs hosti tradunt, vt per omnium
sensuum portas in animam eorum intret?
Non sic Sancti pro aris & focis certarunt,
seuerunt regnum calorum vim pati. Ideo Matth. 12
fortes facti sunt in bello, castra verterunt ex- 12.
terorum: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, Hebr 11
in occisione gladij mortui sunt. Nimirum sæ- 34.
pe considerarunt, quantum sibi, quantum
Deo perderent, & quantum Christo arcis à
se redemptæ Domino obstricti essent. Hinc
clamauerunt: *Quis nos separabit a charitate* Rom. 8
Christi? tribulatio? an angustia? an fames? 35.
an nuditas? an periculum? an persecutio? an
gladius? O nos arundines, quæ quouis ven-
to, quouis angustia, quouis tentatione de-

G

tribua

98 *Cap. IV. M. Guterrij exemplo animam*
tribulatione agitantur, & franguntur! Co-
lumnæ, petrae similes esse debemus, quas
nullis fluctibus cedunt: & arundini simi-
les sumus, à quouis vento agitandæ, à quo-
uis socio nos sinimus abduci à recto. Pe-
trum non pœnitentem & flentem, sed an-
cilla cedentem imitamus. Hoc est arcem
tradere, non seruare.

VIII.
CAPITVR
ARX ET
C. TER.
RIVO.

Sed ad *Marcum Guterrium* nostrum re-
deamus, & videamus, quid in castro suo
faciat, vel patiat. Toto jam die acclinis
portæ & semianimis federat. Cùm rex so-
litum impetum in arcem faciens, miratus
est, neminem esse resistentem. Iussit ergo
scalas ad murum admoueri. Certatim rui-
tur, & quisque vult primus esse in muro.
Nemine repugnante facile fuit ascendere.
*Ascendentes nobilem virum seminiuum repe-
riunt, castrum, non se custodientem. Ita cum
vires jam defecerant, vt sine motu, ac pro-
pe etiam sine sensu jaceret. Arbitrantes igh-
tur, qui ascenderunt, Castellatum mortuum,
ad regis presentiam supra humeros detulerunt.
Lachrymatuſ est igitur rex ob viri illius ingen-
tem virtutem, curamq; de eo gessit, remedijsq;
adhibitis paululum conualuit. Amat ipse ho-
ſtis in hoſte virtutem, Cùm itaq; rex ob eius
egregia*